



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae  
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Camillus tituli Sancti Marcelli Cardinalis Meltius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

orienſ super Montes, quos operiet non umbra; ſed lux ſanctitatis eius, erit quæ ſicut ſtella in perpetuas æternitates.

Flauius tit. Sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chifius.

**B**eatum Thomam de Villanova, Archiepiscopum Valentini, ob eius excellentem doctrinam, profundam humilitatem, eximiam in pauperes Charitatem, exactam clauſtralis vitæ, & in Episcopatus dignitate irreprehensibilem obſeruantiam, dignum censeo, qui à Sanctitate Veftra Sanctorum numero adſcribatur. Fuit verè Deus mirabilis in Sancto ſuo, cum per eius manus claudi ambulent, cæci videant, ægri sanitati reddantur, leprosi mundentur, & mortui reſurgent. Sunt omnia mirabilia Dei, qui operatur magna ſolus, & conſtituit curantem, & fidelē ſeruum ad cuſtodiendam familiam ſuam.

Camilloſ tituli Sancti Marcelli Cardinalis Meltius.

**D**ebentur Beato Thomæ de Villanova Archiepiscopo Valentino cœleſtes honores, Beatissime Pater, qui dum in terris ageret, teirena cuneta deſpexit, ut Christum lucrifaceret, cœleſtique Regno potiretur: qui omnium virtutum viſu, in Christiana militia diù, multumquæ promeruit; donec coronam pulchritudinis Cœli Regnatoribus dignam, poſuit in capite ſuo. Ea enim in primis exarſit in Deum charitate, ut merito Diuini amoris Gereus appellaretur; tam impensè proximum dilexit, ut ſe ipſum hoiſtiam pro populo ſuo non ſemel, viuus, & moriturus obtulerit. In amore pauperum tam effuſus ſemper, diem clauſit extreſum, ut ne lectum quidem, in quo moriens iacebat, ſibi reſeruauerit, nec poſſe ſe à carnis vinculis existimauerit abſolui, ut euolaret ad Cœlites, ſi vel pecunia minimum, non erogatum egenis, reliquifſet in terris. Tantus igitur Vir, tam magnus Heros in Sanctorum virorum album merito eſt referendus, qui ſupra morta-

mortalium vim, & consuetudinem euectus, dum se ipsum pro nihilo habuit, Ordini suo magni doctoris Augustini, Ecclesiae suæ Valentinæ maximum honoris incrementum attulit, Hispaniæ vniuersæ decus ingens, & perennem gloriam comparauit.

### Iulius tituli Sancti Xisti Cardinalis Rospi-gliofius.

**P**RÆCLARISSIMÆ sunt virtutum prærogatiæ, quibus Beatus Thomas de Villanova mirificè insignitus, in diebus suis Deo placere studens, à prima usquè ætate vias eius sedulò custodiuit, & vitam Mundi contemnens, vitam planè cœlestem peregit in Terris. Religioso Ordini addictus, tum etiam Valentinæ Ecclesiae Præfectus, factus exemplum bonorum operum, Episcopis vigilantiam, Regularibus disciplinam, omnibus Charitatem assiduè præmonstrauit. Tot merita plurimis, atquè eximijs confirmata miraculis, iure optimo postulare videntur, ut eidem cunctarum virtutum gloria cumulatissimo, Sanctorum honores à S.V. decernantur.

### Nicolaus tituli Sancti Eusebij Cardinalis à Balneo.

**V**Ita præclara Beati Thomæ de Villanova adèò Omnipotenti Deo fuit accepta, ut eius precibus illuminauerit cœcos, ad vitam defunctos reuocauerit, ac alia insignia perpetrauerit miracula. Quapropter (Beatissime Pater) optimam causam habet Sanctitas Vestra, toti terrarum orbi indicandi, ipsum cum Sanctis in Cœlo regnare: & dum gloria illius in terris augetur, sperandum est, quod huius sæculi calamitates miserando, optatam pacem, viribus inimicorum Sanctæ Ecclesiæ prostratis, obtineat.

Fran-